

**2005-10-12 – SS Benedictus XVI – Epistula ‘Pontificii Comitatus’****BENEDICTVS XVI**

***EPISTULA QUA  
IOSEPHUS S. R. E. CARDINALI TOMKO  
NOMINATUR MISSUS EXTRAORDINARIUS  
AD I CONGRESSUM EUCHARISTICUM  
AD DIOECESI CARTHAGINENSI IN HISPANIA***

*Venerabili Fratri Nostro  
JOSEPHO S.R.E. Cardinali TOMKO*

Pontificii Comitatus pro Eucharisticis Internationalibus Conventibus provehendis Praesidi Ecclesiae suae dedit Dominus Iesus sanctissimam Eucharistiam uti cor vitae christiana et fontem missionis eius evangelizatricis. Quapropter perutile videtur huius rei theologicam, liturgicam et altiorem pastoralem usque fovere cognitionem, praecipue inter Ecclesiae pastores et doctores. Ipsi enim singulari modo "populos suos, ut in liturgia et praesertim in sacro Missae sacrificio partes suas fide et reverentia impleant, sollicite exhortantur et instruant" (*Lumen gentium* 26).

Laeto autem animo recenter perceperimus proximo mense Novembri in urbe Murcia, in dioecesi Carthaginensi in Hispania, primum Congressum Eucharisticum Internationalem Universitarium celebratum iri, in quo quidam Ecclesiae Cardinales et Episcopi una cum sacerdotum, religiosorum et laicorum coetu varios eucharisticos adspectus inspicient. Simulque eodem tempore, ducentibus fidelium praestantissimis Pastoribus, variis in templis fiet studiosa eucharistici mysterii adoratio et celebratio. Libenter ergo arripimus huiusmodi opportunitatem ut Nostram confirmemus voluntatem de Eucharistia in Ecclesia maximopere aestimanda et curanda, praesertim vero cum agatur de divitiis integrae fidei sanaeque devotionis colendis et iuvenibus fideliter sapienterque easdem docendis.

Postulatum Nobis exhibitum ut illuc eminentem Praesulem mitteremus ad personam Nostram tuendam libenter accepimus et ad te, Venerabilis Frater Noster, cogitationem Nostram admovimus, qui assidue munere fungeris Praesidis Pontificii Comitatus pro Eucharisticis Internationalibus Conventibus provehendis atque totius orbis christifidelium fidem et pietatem in corde habes erga hoc praestantissimum divinumque Sacramentum.

Quamobrem, magna suffulti pastorali sollicitudine, te *Missum Extraordinarium* fidenter constituimus ad memoratum I Congressum Eucharisticum Internationalem Universitarium diebus IX-XIII mensis Novembris celebrandum. Quo ubiores usque spiritales fructus afferre possit, Nos missionem tuam precibus comitabimur. Tu vero verba et desideria Nostra ibi transmittenda curabis et universos participes ad dignum et constantem Eucharistiae cultum eiusque in vita christiana singulare momentum meditandum, vivendum et docendum sollicito animo cohortaberis. Peculiarem autem Nostram salutationem transmittes Episcopo dioecesis Carthaginensis in Hispania ceterisque sacris Praesulibus necnon Catholicae Studiorum Universitatis Sancti Antonii Magno Cancellario cunctisque docentibus, addictis et alumnis, ac denique aliarum studiorum universitatum delegatis.

Benedictionem demum Apostolicam, supernae gratiae nuntiam et propensae Nostrae voluntatis testem, nomine Nostro omnibus huius Congressus Eucharistici celebrations participantibus peramanter largiaris volumus.

*Ex Aedibus Vaticanis, die XII mensis Octobris, anno MMV, Pontificatus Nostri primo.*

**BENEDICTVS PP. XVI**